Ad Reverendum virum,

Dn. CONRADUM BERGIUM. SS. Th.D.
avunculum ac præceptorem parentis loco
colendum,
PRAXIN Divini canonis edentem,
EPIGRAMMA.

Non tibi ſunt nati, natas, CLARISSIME BERGI
Quinque, Deo ut placeant, inſtruis eſſe pias.
Maſculus, hem, LIBER eſt; aut ſervans ſemina MATRIX,
Quæ ſobolem Chriſto fertilis usq; dabit.
Sic TV, Dialoquens, divinæ es portio MATRIS:
Sic ego ſim GENTIS portio parva tuæ!

declarandi debiti affectus ergo ad ponebat
MAURITIUS BOHEMUS Colb. Pom.

AD EUNDEM,
In ſcopum & argumentum Libri,
Eccl. cap. 12. v. 12. 13.

His amplius, Fili mi, ne requiras: &c.
FINEM loquendi pariter omnes audiamus:
DEVM TIME, ET MANDATA EJVS CVSTODI;
QVIA HOC EST OMNIS HOMO. &c.

CUm non muta tibi toto ſit pagina libro:
Cur vis poſtremam, PATRUE, nulla loqui?
Non vis â nobis dici tibi carmine laudes:
Cernis & exiguo pondere poſſe dari.
Saltem ergo officium liceat promittere noſtrum:
Quó nos voce trahis; pectore velle ſequi.
Hoc, ne nuda vacet, quæ nunc eſt cauſa loquendi;
Servandi quondam pagina calcar erit.

Ita optat ac vovet
GEORG: CONRADUS BERGIUS
Berlino-Marchiacus.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id367552213/1420
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG